

*in bonum per initium fidei commutari, nisi hoc in illo*  
**Omne** agat indebita & gratuita misericordia Dei, ait Aug.  
*precep-* l. 2. contra 2. epist. Pelag. cap. 10. concludens  
*um po-* nihil in scripturis sacris homini a Domino juberi  
*rest im-* quod non invenitur vel dari ab eius bonitate, vel  
*pleri, sed:* potest propter adiutorium gratia demonstrandum:  
*non sine* quod ipsum pulchre etiam declarat epist. 95. Est  
*gratia.* ergo regula generalis, omne quod à Deo nobis ju-  
 betur, posse impleri, sed tamen non nisi dante, incipiente,  
 & præcurrente illo qui præcepit: & proinde verè dicitur nos posse illud quod pendet  
 ex hypothesi quæ non est in nostra potestate, sicut  
 possumus mandata implere, quæ tamen imple-  
 ctio pendet ex gratia Dei quæ non est in nostra  
 potestate.

ARTICULUS II.

**C**irca argumentum 2. Ob. 1. Conc. Trid.  
 sess. 6. cap. 5. & can. 4. dicit liberum arbitrium  
 à Deo motum & excitatum posse consentire si velit,  
 & posse motionem abjicere: manifestumque est  
 quod loquatur in sensu composito, quia nihil abjicitur  
 nisi habeatur. Et confirmatur, quia loquitur contra  
 hæreticos: illi autem dicebant hominem non posse  
 dissentire Deo vocanti in sensu composito, ergo in  
 eodem sensu intelligenda est definitio Concilij.  
 Minor prob. quia nimis evidens est hominem posse dissentire in  
 sensu diviso. i. si non moveatur. Resp. quod Concilium  
 manifestè adversetur ijs à quibus hæc obijciuntur,  
 1. quia ponit Deum sic prævenire ut maneat  
 libertas, quod significat præventionem Dei non magis  
 tollere libertatem quam concursum. 2. quia dicit  
 liberum arb. à Deo moveri, & cor tangi, ergo ex mente  
 Conc. Deus non concurrat in solum effectum, sed etiam  
 in causam ut eam moveat, faciatque illam agere. 3. quia  
 Concilium dicit quod liberum arb. à Deo motum non  
 habeat se merè passivè: si autem Concilium sentiret  
 liberum arb. non propriè moveri à Deo realiter  
 tangente ipsum, deberet simpliciter negare quod  
 habeat se passivè, non autem solum quod merè  
 passivè: per hoc enim quod dicit non habere se  
 merè passivè significat quod non habeat se profus  
 passivè, sic ut nihil agat, sed partim passivè  
 partim activè, quatenus sic patitur ut etiam agat,  
 quemadmodum ex B. Thoma sæpè diximus. Præterea  
 est observandum quod Patres Conc. Trident. memores  
 scripturæ dicentis Deo, nemo est qui tuæ possit  
 resistere voluntati, voluntati ejus quis resistit,  
 omnia quæcunque voluit fecit: memores item  
 verborum S. Augustini scribentis Ench. cap. 95.  
 effectum voluntatis Dei non posse impediri per  
 voluntatem creaturæ, & dicentis lib. de prædest.  
 SS. cap. 8. gratiam à nullo duro corde respui:  
 non dixerunt id quod in argumento sumitur,  
 liberum arb. posse resistere Deo, neque fieri  
 potest ut Deo moventi sic resistat homini, ut  
 non sequatur effectus à Deo intentus. Quia tamen  
 Concilium dicit liberum arb. posse abjicere  
 inspirationem & dissentire Deo vocanti si velit.  
 Resp. 1. Concilium rectè intelligi de gratia  
 inspirante quæ inspiratur bona desideria, &  
 bonæ cogitationes: & de ea sic verum est quod  
 homo possit illam abjicere ut aliquando de facto  
 eam abjiciat, juxta illud vocavi & renuistis. Neque  
 hoc est contra sententiam dicentium quod omnis  
 gratia sit efficax ad illum effectum ad quem  
 proximè ordinatur, quæ gratia talis vocationis &  
 inspirationis est per solas suaves quod possunt de

**A** facto respui, non autem per physicam motionem  
 quæ nunquam abjicitur. Resp. 2. Concilium etiam  
 rectè intelligi de gratia physicè moveente voluntatem:  
 de ea enim verum est quod homo possit per voluntatis  
 suæ flexibilitatem illam abjicere & illi dissentire,  
 licet non possit hujus flexibilitatis ad illud alterum  
 oppositum eventus simul stare cum nostro velle &  
 eligere. Igitur potest dissentire in sensu diviso,  
 non in composito: & quod hæc solutio sit ex mente  
 Concilij prob. quia e. illo 5. ponit ab homine  
 recipi inspirationem quam dicit posse abjici, &  
 tamen evidens est fieri non posse ut illa simul &  
 recipiatur & abjiciatur; ergo quando dicit illam  
 inspirationem, quæ recipitur, posse abjici, debet  
 intelligi in sensu diviso: quis autem ille sit, dicitur  
 art. 3.

**Ob. 2.** August. lib. de Spiritu & litera cap. 2. 1.  
 dicit quod omnis potestas sit à Deo, non autem omnis  
 voluntas. 2. lib. 7. de Civit. Dei cap. 30. sic asserit  
 Deum condidisse creaturas ut eas propriis motus  
 agere sinat. 3. lib. 12. de Civit. Dei cap. 6. causam  
 adferens cur ex duobus æqualiter animo & corpore  
 affectis & æquè invitatis ab eodem objecto, alter  
 moveatur ad malum, alter in bono stabilis perseveret,  
 refert illam in lib. arb. non autem in prædeterminationem  
 uni concessam, alteri negatam: ergo non eam agnovit:  
 si enim agnovisset, hic erat locus de ea loquendi.  
 4. serm. 13. de verb. Apostoli homini dicit, si non  
 esses operator, Deus non esset cooperator, ergo non  
 admittit Deum esse causam cur homo operetur  
 sed potius contrarium hic significavit. Quod August.  
 præventionem agnovit, & in omni opere priores  
 Deo partes tribuerit, partim supr. diximus, partim  
 aliunde notum est. Ad primum ergo locum R. legendam  
 esse in August. rationem quæ sequitur, ob quam dicit  
 non omnem voluntatem esse à Deo: sequitur enim  
 quod mala voluntas non sit à Deo, & ideo non  
 omnis; de malâ autem voluntate quod à Deo sit,  
 nullus Catholicus dicit: solum enim nos dicimus  
 omnem effectum realem esse primò & principaliter  
 à Deo. Jam verò ex eodem loco sic argumentor:  
 Illi probant Deum non prædeterminare physicè  
 voluntatem omnem, quia teste August. non omnis  
 voluntas est à Deo, ergo dicendum est Deum  
 prædeterminare omnem bonam voluntatem, quia  
 teste eodem, omnis bona voluntas est à Deo,  
 ergo prædeterminatio libertatem non tollit.  
 Ad secundum R. sic Deum sincere unamquamque rem  
 agere suos motus, ut eandem ipse moveat &  
 operari faciat. Ibi enim Augustinus solum intendit  
 docere quod Deus non impediat secundarum  
 causarum efficientiam, quod est verissimum &  
 nostræ doctrinæ conformissimum.

**Ad tertium. R.** Aug. ibi non querere causam  
 voluntatis bonæ, sed solum causam voluntatis malæ  
 in eo qui peccat: sic enim ibi loquitur. Si aliqui  
 De duobus aequaliter affectis animo & corpore videant  
 unius huius corporis pulchritudinem, qui visus  
 unus eorum ad illiusmodum moveatur, alter  
 in voluntate pudicâ animo stabilis perseveret,  
 quid putamus esse causam ut in illo & cor-  
 fiat, in illo non fiat voluntas mala? & postea:  
 Hanc potestatem ad-  
 consensionem, hanc malam quam male suadenti  
 ad-  
 bibuit voluntatem, qua in eo res fecerit, quarimus.  
 Ad quam quæstionem optimè respondet ipsum  
 hominem sibi fecisse malam voluntatem, causamque  
 malæ voluntatis refert in liberum arb. defectibile:  
 nec enim locus erat aliquid respondere de præ-  
 motione Dei efficaci, cum sicut Deus non est auctor

*Præven-*  
*tionem*  
*non*  
*tollit*  
*libertati.*

*Prov. I.*